



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno CCCCXXXII. ad annum CCCCLI.

**Parisiis, 1644**

Inhaltsverzeichnis

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14584**

EPISTOLA LXXXIX.  
LEONIS PAPÆ I.

AD EPISCOPOS PROVINCIAE VIENNENSIS.

Aduersus Hilarium episcopum Arelatensem, post eius  
ab Vrbe discessum scripta.

- |                                     |                                     |
|-------------------------------------|-------------------------------------|
| I. Chelidonius episcopus, quem Hi-  | IV. Hilario metropolitani dignitas, |
| larius damnarat, retractato iu-     | & potestas in prouinciam Vien-      |
| dicio absolutus.                    | nensem adempta.                     |
| II. Proiectus episcopus, cui agro-  | V. Quod nulli facile infligenda sit |
| tanti alterum idem Hilarius sub-    | excommunicatio.                     |
| stituerat, in integrum restitutus.  | VI. Ut preter Leontii episcopi con- |
| III. Electiones & ordinationes epi- | sensum alterius prouincie Con-      |
| scoporum per quos & quomodo         | cilium non indicatur.               |
| facienda sint.                      |                                     |

Dilectissimis fratribus vniuersis episcopis per Vienensem  
prouinciam constitutis Leo.

**D**IVINÆ cultum religionis, quem in omnes gentes, <sup>Dicit. 19.</sup>  
Omnesque nationes Dei voluit gratia coruscare, ita <sup>Ita Domi-</sup>  
Dominus noster Iesus Christus humani generis saluator <sup>nus.</sup>  
instituit, ut veritas, quæ antea legis & prophetarū præco-  
nio continebatur, per apostolicam tubam in salutem vni-  
uersitatis exiret; sicut scriptum est: *In omnem terram exiuit* <sup>Psal. 18.</sup>  
*sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.* Sed huius mu-  
neris sacramentum ita Dominus ad omnium apostolo-  
rum officium pertinere voluit, ut id in beatissimo Petro,  
apostolorum omnium summo, principaliter collocaret;  
atque ab ipso, quasi quodam capite, dona sua vellet in  
corpus omne manare; ut exortem se mysterii intelligeret  
esse diuini, qui ausus fuisset a Petri soliditate recedere.  
Hunc enim in consortium indiuiduæ vnitatis assumptum,  
id quod ipse erat voluit nominari, dicendo: *Tu es Petrus,* <sup>Matth. 16.</sup>  
*& super hanc petram ædificabo ecclesiam meam;* ut æterni ædifi-  
catio templi, mirabili munere gratiæ Dei, in Petri solidita-  
te consisteret: hac ecclesiam suam firmitate corroborans,  
ut illam nec humana temeritas posset appetere, nec por-  
ta contra illam inferi præualerent. Verum hanc petræ  
istius sacratissimam firmitatem, Deo, ut diximus, ædifi-  
cante constructam, nimis impia vult præsumptione vio-